

.xxxiiii. OMELIA OCTAUAS PASCHĒ .

PAulisper de ministratoribus persecutionis christi . quid actum sit uideamus fratres karissimi ; primus itaque herodes . sub quo passi sunt infantes . nunc finem habuit ; Lento igni extrinsecus autem uasto incendio cremebatur . Omne corpus putridum gestabat atque corruptum . Inerat febris maxima . prurigo intolerabilis . Colli dolor immensus . pedum tumor extensus . Verenda putrida inerant illi . et inflatio putrida . Postquam autem oleo est litus . soluti sunt oculi eius . et desperatus omnes primarios et nobiles iudeae plebis . ad se iubet colligi . et in uno loco recludi . Et ait sorori suę . Noui /81v/ iudeos . de mea morte gauisuros . sed ut habeam lugentes cum spiritum exalauero . omnes interfice . [.ii.] Igitur sex filiis a se necatis . cultellum petiit . ut pomum more solito purgaret . et eleuauit in seipsum dextram suam . et ita obiit . Post hunc filius eius herodes . sub quo passus est dominus . eo quod non dedisset gloriam deo . Subito ab angelo domini percussus est ; et incredibili uentris inflatione distentus . continuis quinque diebus . quinquagesimo quarto aetatis suę anno . regni uero septimo ; obiit . Pilatus uero ita malorum cladibus cruciatus est ut propria se manu transuerberaret . Quanta uero accesserunt iudeis per quadraginta annos . usque ad uindictam crucis . enumerare perlongum est . quod a pilato . cessaris imago . nocte in templo posita est . Quod paschę solemnitate perturbatione facta . triginta milia . ex eis caesa sunt . quod irruente famę . mulier unicum filium suum

comederit . [.iii.] Multa et alia signa demonstra-
bantur super eos . Nam fulgebat stella gladio similis .
per totum annum super hierusalem . quadam die uitula sacri-
ficiis amota . enixa est agnam . Quadam nocte uisi
sunt currus et equites . per aerem ferri . Quadam die
pentecosten . sacerdotes audiebant motus in templo
et uoces dicentium . Transmigremus ex his sedibus .
quadam festiuitatis die . quidam annaniae filius mente
commotus clamabat . [.iiii.] Uox ab oriente . uox ab occiden-
te ; uox a quattuor uentis . qui uerberatus magis ac ma-
-gis clamabat . In obsidione autem romanorum . occisi
/82r/ undecies centena milia . referuntur . Ad distrahendum
uero traditi centum milia dicuntur . Rectum igitur
fuit . ut qui patrem et filium dispexerant . A filio et pa-
tre . Id est tito et uestasiano delerentur . Et qui in so-
lemnitate pasche dominum crucifixerunt . In eadem
solemnitate ab hostibus conclusi perirent . Haec qui-
dem omnia fratres . ad crucis christi uindictam eis . nobis
autem ad profectum salutis . peracta sunt . [.v.] Sciendum
est autem . quod licet omnia ueteris testamenti
uolumina . multo ante predixerint . Passionem
et resurrectionem domini et saluatoris nostri iesu christi .
per os etiam dauid prophete . spiritus sanctus euidenter
ostenderit dicens . Deus ultionum dominus . deus ultio-
num libere egit . Solus et enim ipse libere egit .
qui nobis hodie ostendit quid egerit . Libere
enim egit ille de quo multo ante fuerat profetatum .
quia factus est sicut homo sine adiutorio inter
mortuos liber . Vultis tamen scire quid egerit . au-
dite quid fecerit . Nulla siquidem necessitate . sed
propria uoluntate ; in ligno se suspendi permisit .

[.vi.] Corpus suum clavis perforari non renuit . et ani-
mam ponendo mortem sustinuit . carnem quod(?)
in sepulchro reposuit . et comitante secum anima
ad inferna descendit . tenebrarum principem
alligauit . et legiones illius perturbauit . Porta-
rumque inferni uectes ferreos fregit . Et omnes
iustos qui originali peccato asstricti tenebantur
absoluit . et captiuos in libertatem pristinam
/82v/ reuocauit . Peccatorum que tenebris excecatos splendida
luce inluminauit . Haec sunt fratres . que defensor ac re-
demptor noster libere egisse legimus . [.vii.] Mox enim ut spiritum
in cruce suspensus reddidit . Ad infernorum profunda
diuinitate comitante . descendit . Cumque aspicerent
eum impię ac tartáreae legiones . territe ac trementes
inquirebant dicentes . Vnde est iste? tam fortis tam
splendidus . tam preclarus . tamque terribilis . Mun-
dus enim ille . qui nobis subditus fuit semper que nostris
usibus . mortis tributa persoluit . Numquam talem nobis
mortuum misit . Numquam talia infernis munera de-
stinauit . Quis ergo est iste qui sic intrepidus fines
nostros ingreditur . et non solum nostra supplicia non ue-
retur ; Sed et alios . de nostris uinculis absoluit ? An forte
ipse est ille de quo principis noster . paulo ante dicebat .
[.viii.] Quod per eius mortem totius mundi acciperet potesta-
tem . Sed si ipse est in contrario nostri preliatoris . uer-
sa est sententia . Quia dum eum uincere putabat .
ipsæ potius uictus et prostratus est . O principis noster .
hic est ille de cuius tibi semper futura morte plaude-
bas . Ipse est incuius esitu nobis tanta spolia promitte-
bas . Quid egisti? quid facere uoluisti; Ecce iam
totas tibi tenebras . suo ipse splendore fugauit .

et omnes carceres fregit . Cap[tiuos eiecit . et ligatos
soluit . luctusque eorum commutauit eis in gaudia .
Ecce ipsi qui sub nostris solebant suspirare tormentis . iam
nobis insultant de perceptione salutis . Iam non ue
rentur nostra supplicia sed insuper minantur . ut quid
/83r/ hic istum adducere uoluisti? quo ueniente . omnes
sunt letitię restituti . qui ante fuerant desperati . Nullus
hic iam . solitus eorum mugitus auditur . nullusque reso-
nat gemitus . O princeps noster . tuas diuitias quas
primo adquisieras . per paradysi ammissionem . nunc
perdidisti per istius crucem . periit iam omnis letitia
tua . et in luctum tibi conuersa sunt gaudia tua .
Post istas autem daemonum uoces . sine aliqua mora
ad imperium domini ac saluatoris . omnes ferrei confracti
sunt uectes inferni . Et ecce subito innumerabi-
les sanctorum populi . qui tenebantur captiui . saluatoris
sui genibus sunt obuoluti . et lacrimabili eum obse-
cratione . deposcunt dicentes . Ecce aduenisti re-
demptor mundi quem desiderantes . cotidie speraba-
mus . Ecce aduenisti . quem nobis uenturum lex nun-
tiauerat et prophete . descendisti quidem pro nobis ad
inferos . noli a nobis deesse . cum fueris reuersus ad su-
peros . Posuisti titulum glorię tuę in seculum . pone sig-
num uictorię¹ infernum . Post hęc statim iusu
domini omnes antiqui iusti iura suę potestatis accepe-
runt . atque in suos tortores protinus sua tormenta
conuerterunt . et supplici uoce . cum ineffabili
gaudio . clamabant ad dominum dicentes . Ascende domine
iesu ex spoliato inferno . et auctore mortis uinculis
suis inretito . Redde iam letitiam mundo . ut gau-
deant . fideles tui in ascensum tuum . Letentur ergo

omnes populi solemnitatem caelebrantes resurrec
tionis christi . cuius est gloria cum patre et spiritu sancto . per infinita
secula seculorum . amen .

¹ uictorię] *a later hand as added`in`*